

**1360-1360- OFP - Acta Capitulum Generalium apud Perpinianum Celebrati**

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
 Hec sunt acta capituli generalis apud Perpinianum celebrati  
 anno Domini · M<sup>o</sup> · CCC<sup>o</sup> · LX<sup>o</sup> ·

**Iste sunt inchoaciones.**

Inchoamus hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur circa finem: tractatibus capituli aliquatenus admittatur, addatur sic: Nullus frater, cuiuscumque gradus aut condicionis aut status existat, si ex quacumque causa ab obediencia ordinis aut correctione exemptus est, ad huiusmodi tractatus admittatur nec in aliqua electione aut actu ordinis possit assumi, nisi talis fuerit, quod sub obediencia constituto tale officium non deberet sibi merito denegari; et statim sequatur: prior autem provincialis.

**Iste sunt ordinaciones.**

Imponimus prioribus provincialibus et conventualibus ac eorum vicariis, quatenus omnimodam diligenciam adhibeant super reformatione ordinis quoad divinum officium, studia, habitum, rasuram, infirmorum charitativam procuracionem et alias observancias regulares, mandantes prioribus provincialibus, quatenus super hiis diligenter inquirant, et priores conventuales et supprioris, qui in hiis negligentes inventi fuerint, in penam absolvere non omittant.

Item. Cum secundum statuta domini pape Iohannis · XXII · per priores provinciales et quoscumque vicarios nove assignaciones seu mutaciones fratrum fieri non debeant infra mensem ante electiones in conventibus, in quibus huiusmodi electiones sunt fiende, nisi pro officio lectorie vel gravi scandalo evitando vel in capitulo provinciali vel in loco ipsius provincialis capituli, sicut in aliquibus est provinciis consuetum, ordinamus, quod nec huiusmodi assignaciones nec mutaciones fiant per aliquem in ordine presidentem, nisi in casibus in ipso statuto ordinatis.

Item. Ordinamus quatenus presidentes in singulis provinciis et conventibus sollicite instent circa debitam presentacionem fratrum ad sacros ordines et confessiones audiendas.

Item. Volumus et ordinamus, quod predicatoris generales non fiant nisi valentes capitula visitare et nisi citra numerum conventuum sint redacti.

Item. Volumus et ordinamus, quod magistri in theologia universitatis Parisiensis regant per totum tempus suum, quousque habeant magistrum regentem successorem. In casu vero, quo quisque magister in theologia tempore, quo regere debet, absque titulo iusto et rationabili recederet, expensas magistri loco sui regentis solvere teneatur.

Item. Cum conservacio conventus Parisiensis sit toti ordini utilis et necessaria, et dictus conventus sit ex destructione edificiorum plurimum arctatus, necnon et temporali subsidio destitutus, tum propter guerras tum propter carenciam elemosinarum, quas olim a dominis regalibus Francie recipere consuevit, hortamur in domino et monemus omnes priores provinciales, quatenus in suis provinciis procurent erga conventum et fratres, de quibus eorum discrecioni videbitur, ut pie secundum beneplacita eorum velint contribuere ad relevacionem dicti conventus et sustentacionem.

Item. Cum mandatum sedis apostolice de reformatione ordinis teneamus et velimus, quantum nostra interest et nobis possibile est, in omnibus observare, volumus et ordinamus, quod diffinitores, qui hoc anno diffinierunt in capitulo generali, diligenter inquirant in suis provinciis, ubi et quando eis videbitur, eciam per censuram ecclesiasticam, de excessibus et defectibus presidencium et subditorum. Quibus diffinitoribus precipimus in virtute sancte obediencie, quatenus defectus huiusmodi et excessus repertos denuncient sequenti capitulo generali. Conventus autem, per quos inquirendo transient, teneantur de expensis eis providere.

Item. Volumus et ordinamus, omnes et singulos fratres provincie Provincie ad conventus, pro quibus sunt recepti, pertinere, exceptis magistris in theologia, et eis dumtaxat exceptis, qui ad presidendum seu legendum vel studendum vel perpetua translacione sunt aliis deputati.

Item. Innovamus ordinaciones precedentis capituli Prage celebrati de debita reverencia prelati ecclesiarum exhibenda; et de non abutendo privilegiis ordini nostro concessis; de non placitando per quemcumque conventum aut fratrem in quocumque iudicio a nobis extraneo sine licencia prioris provincialis speciali; de non ingrediendo monasteria sororum sine licencia prioris provincialis vel eius vicarii; de redditibus non emendis; de cameris fratrum extra dormitorium non tenendis preterquam in casibus, qui in predicta ordinacione sunt expressi<sup>1</sup>.

Item. Omnes gracias exemptorias sub quacumque forma verborum traditas et de successionibus rerum per quoscumque presidentes revocamus et revocatas declaramus.

**Iste sunt declaraciones.**

Declaramus hanc: In capitulo de electione prioris conventualis et institutione supprioris, ubi dicitur: si vero fuerit de alia provincia, postquam per annum continuum etc., sic intelligatur, quod, postquam frater in conventu presens exstiterit, per novam assignacionem ad alium conventum immediate precedens assignacio eius infra unum annum non fuerit interrupta.

---

<sup>1</sup> Perpinianum